132

38

ORATIO,
SUPER RESTITUTA
S. DELPHINI
VALETUDINE,
HABITA IN SCHOLIS MEDICORUM.

A M. LAURENTIO FERRET,

Facultatis Medicinæ Parisiensis Doctore-Regente,

Die Jovis vigesimo-primo mensis Decembris anni 1752.



PARISIIS,

Apud Viduam QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.

M. DCC. LII.



ORATIO
SUPER RESTITUTA
S. DELPHINI
VALETUDINE.

QUOD hactenùs omnis omnium ferè hominum conditio, quod Gallia tota, vota inter formidinemque suspensa, modò evenisse optabat, modò horrebat eventurum, id, singulari tandem Providentiæ regimine, faustum ac fortunatum nobis contigit, AMPLISSIME RECTOR, DECANE VIGILANTISSIME, VIRI MEDICINÆ PROCERES, AUDITORES OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI, ut tetro Variolarum morbo defunctum PRINCIPEM SERENISSIMUM securi potiamur.

Ergo Gallia, non ampliùs mœrens, non anxia, non in ſollicitudine & curis vitam trahens; ſed ſecuritatis, & gaudii plena, tuum DELPHINUM, morbo infando, ineluctabili ferè, liberatum ipſis oculis vides atque animo complecteris.

O Artem penè divinam! O indubitatam felicitatis noſtræ Artificem! non clam ſed palam & apertè prædicandam: cujus ope efficaci, gubernatâ & compoſitâ, multos poſt conatus, poſt labores, Naturâ, DELPHINUM quaſi redivivum intueri datur; ut ſi adhuc dubium fuiſſet, forte caſuque, an Arte aliquâ vitæ homines redderentur, PRINCIPEM tamen noſtrum liqueret à Medicinâ reſtitutum.

O ſanationem pretioſiſſimam! Qui nobis tandem hymni, quinam cantici in hoc ſuffecerint ut gratemur divinæ Benignitati, quæ miniſtrante Medicinâ, periculum omne diſcuſſit, prorumpentes omnium abſterſit lacrymas, & graſſantem in Borbonida Lilia compreſſit calamitatem.

Ego ne ſilebo! qui varias omnium formidines perpeſſus, nunc univerſorum lætitiâ lætor. Qui Medicorum ſi non operibus adfui, fortunæ ſaltem profeſſione ſum addictus, an otiabor? fas mihi, fas, pro tanto DEI munere, publicè in gaudium erumpere, ſolemneque ſupremo ſalutis Autori, ac ejus miniſtris grati animi teſtimonium referre.

Neque patiar me ſeu argumenti magnitudine, ſeu timiditate meâ diutiùs retardari. Gratulabor omnibus ad quos renovatæ DELPHINI valetudinis lætitia pertinet. Ad quos verò non illa? A Sceptro ad pedum, à Solio ad caſas, cunctis unus metus, una ſpes, unus dolor, una voluptas fuit. Mene particulatim ſejungere quod unum effecit nuperrimus caſus? Quod Regiam Familiam cum patriâ, magnates cum populo, aulam cum civitate, nobiles cum plebeiis, cum egenis divites ita miſcuit indiſcriminatim, ut tot hominum genera, tot gradus, tot conditiones, eodem terrore dejecerit, eâdem alacritate erexerit. Erit igitur, ſpero AUDITORES,

quod ignoscatis dicenti mihi quid Naturæ Medicina in restituendo DELPHINO præstiterit, si quod Natura indivisum in omnibus esse voluit, indivisâ Oratione disseruero.

Nec rem verbis amplificare animus est, MEDICI. Quis enim cogitando, nedum eloquendo possit assequi, quod vos exequendo perfecistis? quidquid dixero, totum id, quantumcunque erit, vestrum erit. Felix! si quod tractare suscepi, ingenii culpâ non deteram.

Nec ego oratoriè, sed latinè eloquar. Non enim eruditus ab arte, sed grati animi sensu Orator factus in hunc suggestum, audacior forsan, conscendi. Itaque in hoc exercitationis genere, rudem me atque inexpertam, benevolentiâ vestrâ sublevaturos vos esse confido: si non lætitiæ sublimitatem & magnificentiam adæquabit oratio, orationi saltem vim & jucunditatem suppleat præsens lætitia. Hoc unum mihi in votis, hæc merces laboris exigui maxima.

ITA Natura singulos Homines comparavit, ut quò viribus valentiores ii, eò vincantur à morbo difficiliùs; quò ortu proximiores, eò longiùs ab interitu recedant, hoc Naturæ votum. Quò sanguinis communione conjunctiores, aut alio fœdere obligati, eò dulciori inter se nectantur charitatis vinculo, ab eoque solvendo magis abhorreant; illud Naturæ sensus dicitur. Utrumque DELPHINO, ut à Naturâ concessum, sic restitutum à Medicinâ (quod nemo nostrûm non gloriatur) vobis nunc benignè audientibus exponendum aggredior.

Ne expectetis, AUDITORES, cum hîc de robore & juventâ loquor, eum esse me qui PRINCIPIS laudes ex corporis dotibus captare velim. Habitûs præstantiam, pulchræque juventutis insignia, elegantiam artuum, regiam oris dignitatem marmori vel telæ credant qui his in artibus Pra-

xitelem Apellemve æmulantur. Figuram deprædicent alii, qualem Achilli affinxit Homerus, Æneæ Virgilius; qualem Africano tribuunt hiſtoriæ; nos Eſculapii alumni, longè præſtantiora bona, longiùſque duratura contemplamur. Ea nempè, quæ ſeu ad ſanitatem tuendam, ſeu ad debellandos morbos, omnium aptiſſima comprobantur. Hereditariam dico corporis firmitudinem, nativamque ſingularum partium harmoniam, quam adoleſcens DELPHINUS ſervavit, ſervatam confirmavit, confirmatam amplificavit. Quippe, quod latum pectus! qui humeri! quæ latera! qui lacerti! vireſque militiæ non impares! ſplendet in oculis, in genis purpurat intemerata ſanguinis caſtitas, qua exprimendâ certant inter ſe ſanitas & juventus.

At quid ego? corporis dotes aliis celebrandas tradere me profeſſus, illas ipſas celebro, imprudens! qualeſque Homerus cecinit heroas, talem exhibeo vobis PRINCIPEM SERENISSIMUM! A propoſito non aberravit Oratio, AUDITORES; virtutis hîc fructus ampliſſimos, imò virtutes ipſas refero. Quodnam enim aliud tot & tantarum corporis commoditatum, præter temperantiam atque continentiam, fundamentum agnoſcitis? Agnoverat ipſe PRINCEPS eò vegetiorem futurum animum, & ad altiora ſurrecturum fortiùs, quò lautis minùs cibis corpus aleretur. Non ignorabat quid pocula ardentia, quid vinum (nam ipſo abſtinet vino) efficeret in corpus, maximè ubi recentior ſanguis in primis annis fervere ſolet, & ad omnem animi perturbationem excitare. Summâ cautione blandimenta omnia effugerat, quæ gignit Aula ipſa, haud ſecùs ac Siren altera, incautos decipere efficax. Declinaveratque vias lubricas, quibus inſiſtere aut ingredi adoleſcentia ſine caſu aliquo aut lapſu vix poteſt. Neque illi quiſquam aures obturaverat, ne audiret; non occluſerat oculos, ne videret; non hebetaverat animum, ne ſentiret: ad quæ mala devitanda tum à formatrice morum diſciplinâ, tum ab ipſâ naturâ fuerat edoctus

Præterquàm enim quòd ſapientibus præcipiendi Magiſtris ejus pueritia commiſſa fuit, Paternis etiam virtutibus cum ſemine fuit imbutus, earumque, veluti anticipatâ quâdam hereditate, factus poſſeſſor.

O admirandam Supremi NUMINIS Providentiam! Quæ dum PRINCIPI periculum deſtinaverat ad certum tempus, Ei ad perferendum, à teneris annis vires longè ante ſufficiebat. O evidentem OMNIPOTENTIS tutelam! quæ cercam illam ætatem ad vitia deflecti paſſa non eſt, ut adverſùs morbos adulta fortiùs inſurgeret. Quæ neque Puelli infirmitatem truci morbo objecit, neque quandam expectavit annorum maturitatem, quâ Natura morborum contagioni ſæpè ſæpiùs cedit; verùm in ætatem illam diſtulit, quâ PRINCEPS, nullo voluptatum lenocinio fractus, illibatis frueretur organis. Tu certè DEUS, lætiſſimam hanc producere juventutem, mortique indebitam victimam eripere geſtienti Naturæ, benignus affuiſti; tu votum illius Medicinâ tuâ adjuviſti.

Hoc tuum erat, Natura, votum. At tuus non minori jure ſenſus fuit. Vitam acceperat DELPHINUS à Patre cujus gloriam mirabuntur poſteri, præſentes fruimur. Factus & ipſe Pater, expoſcenti Galliæ Principem, etiam nunc in purpurâ vagientem, protulerat. E ſinu REGINÆ, quam Matrem chariſſimam amat, Sorores amantiſſimas ſocias acceperat. In DELPHINÆ, Conjugis dulciſſimæ, conſortio novam meditabatur ſobolem. Erat Regiæ, erat & Patriæ ſpes amorque, PRINCEPS ex illâ ſtirpe ortus, quam ut imperare ſolam amamus, ita ſolam eſſe ſperamus quæ debeat imperare. Quid plura proſequar? Quibus aut dulcioribus, aut majoribus vinculis Naturæ obligari poterat PRINCEPS SERENISSIMUS? Liceat hîc in ſingulari Patrem inter Natumque amore pauliſper immorari. Quem quidem amorem idcircò lubentiùs evolvam, quòd cæteros omnes amores contineat, & quaſi compendio complectatur.

Affectata, penè dixerim ſimulata, aliis principibus Naturæ vox & indoles, LUDOVICO innata ingenitaque, in Regiam Familiam paternos veroſque amores intulit. LUDOVICUM non puduit vocari quod erat, & dici Patrem. O conſpiciendam in Naturæ ſpeculo regiam LUDOVICI Familiam! Quibus enim, quàm lætis ſuos liberos Rex aſpicit oculis! Quàm blando fovet amplexu! Quoties è Conſilio, vel è Venatu redux exultantibus iis arriſit, verborumque comitate & lenocinio eos allexit! Ut geſtit, ingruente veſperè, dum delicata Aulæ relinquit otia, apud DELPHINUM, dicamus quod res eſt, apud Natum ſuum illabi, ſuique ibi prodigus, jam Nato, jam Nati Sponſæ, jam Nati Sororibus paterna dividere oſcula! Date privatam aliquam Familiam, ubi ſincerior affectus, ubi pietas ſit obſequentior. Veſtram teſtor fidem, AUDITORES, Regiam iſtam familiaritatem quanto, quàm inaudito, quàm ſingulari Naturam ornamento illuſtrare arbitramini! Narrabunt futuri rerum ſcriptores quot corruere propugnacula, quot noſtris tormentis diſcuſſæ radicitùs arces, quot victricibus armis debellatæ nationes; mirabuntur quoties regreſſi non ſine palmis, quoties triumphis illuſtrari nobilibus, quoties vicimus citiùs quàm pugnavimus. Domeſticas LUDOVICI virtutes quis dignè referat? Habet ſuas Victoria lauros & palmas; laudata illa familiaritas, ſi priſcis nota temporibus, templorum honorem tuliſſet.

Dulcis & amæna Magnatum conditio, dum purpuræ ſplendori ſimplicitatem Naturæ miſcere non reformidant! Nec ego pronuntiare dubitaverim, PRINCIPES, aliquantùm veſtræ detractum magnitudini, quandiù eam non comitatur felicitas illa, quæ vos populis non aſpectabiles modò, ſed & verendos oſtentat.

Ut autem DELPHINUS non minùs ob alia nobis pretioſus, quàm quòd erat Princeps; ſic & Parentibus non minùs ob alia charus, quàm quòd Filius erat. Ille qui, ſecun-

dus

ctus à REGE, omnia infrà se posita videt; quâ obedientiâ cum Rege, quâ cum Principibus curâ, quâ moderatione cum Populo, quâ cum seipso sapientiâ foret agendum, optimè tenebat. Princeps aspectu humanus, aditu facilis, comis alloquio, suavis moribus, actu beneficus, eòque lubentiùs, quò clam & occultè magis. Ut Qui exemplum cæteris Principibus, præstabat benignitatis laude; ut Qui Ecclesiæ proceribus spectaculum, observantiâ Numinis excellebat; ut Qui historiarum materiam Orbi daturus, jam tunc Litteris favebat. Musarum enim contubernium non excluserat à Virtutibus, æquè omnis doctrinæ capax, non minùs quàm justitiæ cultor, ad omnia, ptæter quàm ad simulationem, eruditus.

His ornatum PRINCIPEM virtutibus, à DEO Patria acceperat, qualem sibi concedi nulla natio non ambiret. Unum nostræ deesse felicitati videbatur, nempe, ut DELPHINUS Regiam Domum jucundissimo fulciret Hærede, Patriæque securitati, propagatâ Borbonidum prole provideret. Tantum Dei munus DELPHINI DELPHINÆque castis amoribus deberi nullus non sentiebat. Id autem à Cœlo dum universa Gallia votis ardentibus efflagitaret, en audierat pia vota Numen exorabile, & benignitate suâ spes nostras cumulaverat.

Galliam itaque DEUS iis omnibus belli, fœderum, hæreditatis commodis muniverat, eâ felicitate ditaverat, ut nullus esset hostis qui non armorum vim formidaret, nulla fere gens quæ non amicitiam aucuparetur, nullum regnum solido quod magis fulcimento stabiliretur.

Verùm usque adeò nulla est certa & summa voluptas Mortalibus! lætisque & faustè fluentibus rebus, triste aliquid & infaustum plerùmque aspergitur. Ominamini morbum, AUDITORES, quo mox ut DELPHINUM correptum audivimus, intremuit Naturæ sensus, votumque suum jam definitum illa credidit.

Et quidem veluti alacriter vela dantibus, ventus exortus, inter navis funes ad malum erectos, primùm quidem sibilo ludit, mox suspensum mare extollit, ducitque nimbum; qui ater Olympo inhorrescens, funestum quid videtur portendere; sic, dum Pax dulcia nobis faceret otia, REGEMque nostrum cum Liberis beatam vitam vivere lætaremur, ecce, perflante ad Versaliarum arces pestilenti aurâ, turbatur illa fortunæ nostræ serenitas, ecce improvisus morbus irrepit subdolè primùm, dein mox sævâ adoritur symptomatum procellâ.

Licet enim plurimos inter morbos multi sint, quos & futuros prænoscere ut avertantur, & nosse præsentes ut disturbentur, Medicis sit concessum, existunt hujuscemodi indolis quidam, qui variâ primùm ludentes specie, incautos decipiunt, fallunt inexpertos, cautos, expertosque variè exercent. In incessu perfidè mites, mendaces in processu, in decessu inopinanter exitiosi.

Iis præludebat signis morbus truculentus, cum ex Medici, veluti gubernatoris, vultu conjicitur non vulgare periculum. Consilium is advocat; magno tum misceri murmure Regia, undequâque omnes excitari, festinare undequâque turbati; quisque monere, quisque præcipere; ut penè in tumultu conterritorum, non minùs, quàm in ipsâ tempestate, adesset periculi.

Arrecti interim Medici, & Variolarum exitum tristi silentio opperientes, ad sedandas turbas, hostileque virus eruendum aptabant auxilia. Jam te Magnatum, jam te Civium desideria è *Compendio* revocabant, REX AUGUSTISSIME. Adventum tuum, velut albam quæ nautis refulgeret Stellam, aspectabant. Longum tempus! Longius tantò, quantò minax magis!

Nec mora, vix misso nuntio REX proficiscitur, advolat, adest. Iter præceps! luctuosum! non absimile multùm ab illo, REX MAGNANIME, dum è Flandriâ profectus

ad Rhenum citiſſimè devolaſti, Patriam illîc liberaturus, hîc Filium ſervaturus: Illîc Patriam, tamquam Nati defenſurus Patrimonium, hîc Natum tanquam Patriæ hæredem tuiturus. Utrobiquè Pater & Rex.

Eheu! Quid vos Magnates! Idem animus, qui tantopere abſentem vocaverat LUDOVICUM, præſentem nunc ſubmovet! Multi anteà in ſpe, nunc toti eſtis in metu! Ingeminantur ſollicitudines, luctus, ſuſpiria; aut potiùs unica tantùm vobis eſt pro Nato ſimul & Patre formido.

Intereà REX, quem undique dolor obſidet, ipſaque terrent ſilentia, non patitur moras, DELPHINUM adit, DELPHINUM ſuis ipſius oculis conſpiciendum. Quò properas? REX CHARISSIME, quibus te periculis objicis? ſiſte, eheu! ſiſte. Chari, propinqui, magnates, populus, tota Gallia tibi ſupplex procumbit. At Pater Dilectum ſuum, Unicum ſuum jacentem non videat! non contempletur! Tu idem nobis Pater es, Te Patrem appellamus, Te Patre gloriamur, Te amiſſo perimus; heu fuge, Teque his eripe.

Accedunt Medici. Mox erupturas Variolas nuntiant. REGEM precantur, obſecrant Patriæ cedat lachrymis, ab inſtanti diſcrimine ſeſe proripiat: Cunctantem divellunt.

Loquere, Gallia. Quibus emota, quibus agitata angoribus! dum tuum REGEM variis hinc inde diſtractum curis, tuas inter lachrymas, & Nati ſui pericula fluctuantem; modò quid Patriæ Rex, quid Nato Pater deberet deliberantem videras, fleveras, amaveras. DELPHINUM virtutibus maturis, immaturâ die ferè extinctum dum lugebas, nonne eodem tumulo conſocianda Patris & Nati funera exhorruiſti? Quò te vertas? quò circumferas oculos, ubi non omnia acerbitatis & luctuum plena? Ut flebilem te, Regnantis inter Solium ac Regnaturi cunabula, conſpexi! Avum fœdatâ luctu purpurâ ſedentem, debilibus cunis Nepotem revolutum aſpectabas. Dolori occubuiſſe alterum, alterum Patre ſtatim, & dum naſceretur,

orbatum fuisse gemebunda querebaris. Ut inde concussa, perturbata, mutata omnia augurabare! Proh tam chari Capitis desiderium!

Quod ut averteretur damnum, quàm ardentibus votis à DEO efflagitasti, ô Patria! quàm sedulâ pietate, quibus Sacris, quibus precibus supremum Numen fatigasti! Vidimus referta lamentantium turmis Templa, circumfusa Altaria, vix ut Sacra facientibus vacaret locus, qui non supplicantium numero angustaretur. Vidimus oppletas undique vias, publicis ac solemnibus oppidatim Supplicationibus impeditas. Vidimus mœrentem hinc inde populum, ubique pari affectui indulgentem, pari actione occupatum. Ut in Unius salutem collata omnium vota! Ut neminem nec ætas, nec valetudo, nec sexus retardavit! præcurrentibus ipsis matribus, quòd proli se suæ intelligerent precari, quæ pro Regni Hærede precarentur.

Ut non est dolendi, sic nec timendi modus. Dolet LUDOVICUS quantùm novit accidisse, timet quantùm potest accidere. Ideoque mentem ad deducendum discrimen, magis quàm ad dolendum suum dolorem advertit. Accersuntur in consilium Medicinæ Proceres. DELPHINUM, spes suas, Medicis tradit LUDOVICUS; eos jubet Rem ita curare publicam, ut ex publicâ privatam facerent. Fores occludi diligenter imperat. Vetat quemquam nisi vocatum Ægrotantis cubiculum ingredi. O admirandam LUDOVICI humanitatem! Quæ Magnates, devota morti pectora, periculo arcet, saluti ipsorum timet ac consulit, benignè providus.

Verebatur insuper REX prudentissimus, ne Medicis dies, ne spiritus, ne vires deficerent, si tot mutationes unicuique recitandæ forent. Timebat ne Medicorum intentio, variantibus plurimorum sententiis, non impediretur modò, verùm etiam intervertetur. Cum enim Eruptio expectaretur avidissimè, expectationis comes diffidentia, in animos Aulicorum

irrepere poterat. Illud enim Gentis noſtræ ingenium eſt, ut, quemadmodùm in audendo, ſic etiam in deſperando ſit præceps. Nunc incuſat Naturæ tarditatem, quæ in recenti morbo nequaquàm meruit reprehendi; nunc celeritati Artis adverſatur, quæ occaſionem fugacem lucro vigilanter apponit. Hæc omnia animo intuens REX, voluerat ut, nemine præter Medicos aſſidente, ſalubre Conſilium iniretur.

Tunc Medicorum accingitur quiſque operi. Naturam quærunt ut ſequantur, ut imitentur interrogant... Natura ubi es? Fractis morbo viribus quaſi victa, vovet illa quidem, non reſpondet; conatur, nec efficit.

Unde igitur auxilium periclitanti graviter PRINCIPI? Ab Arte illâ ſalubri, AUDITORES, quæ Naturæ aliàs miniſtra, adjutrix interdùm, hodie fit magiſtra: quæ Naturam labantem ſuſtinet, erigit languentem, ſopitam excitat, temperat igneam, effrænem coercet: quæ ſolatur afflictam, deſpondenti opitulatur; Medicina, nihil temerè agens, nihil ſupervacaneum, nihil nimium; nuſquam ceſſans, ubique ſufficiens, nec deficiens uſquam; quæ, niſi vias invenit, facit: quæ, vel aperto marte, vel inſidiis, infauſtum hoſtem è vitæ laribus longè diſturbat.

Sæpe ego mecum AUDITORES, tacitus agitavi quales quantoſque eſſe oporteret, quorum arbitrio nutuque vita, ſanitas, incommoda, morbi Principum regerentur. Fingenti, formantique mihi Medicos, huic tanto muneri non impares, nunquam, voto ſaltem, concipere ſuccurrit ſimiles iis, qui DELPHINI arduæ curationi interfuere.

Ipſos in curandi negotio, magnâ ex parte, repræſentavit Is, qui ab ejus latere non diſcedens * vitæ cuſtos datus, valetudinis rector, in conſervandâ pretioſiſſimâ DELPHINI ſanitate & morbis præcavendis, nullâ non horâ totus eſt. Qui fide, probitate, conſtantiâ, PRINCIPIS æſtimationem ſibi conciliavit. Quem ſeu in morbi vicibus exponendis,

* *M. Bouilhac.*

seu in proponendis remediis, nec ordo lucidus, nec sagax prudentia unquam deserit.

Improbi laboris, hoc in discrimine, fuerunt adjutores egregii, qui assiduo usu & diuturnâ experientiâ confirmati, vigent animis adversùs omne morborum genus sapienter audaces. Licebit itaque huic Academiæ gratulari semper, quæ, è sinu suo, præter Aulicos, ** splendida Facultatis nostræ Sidera, tres insuper Collegas, quatuor penè dixerim dum Medicinæ Nestorem (*a*) comminiscor, suffecit. Quorum alter, (*b*) iis ornatus dotibus quæ musæi fulgent in umbrâ, in Praxeos Medicæ Palestrâ non minùs elucescunt. Alter, iis instructus moribus (*c*) quos Saturni tempora venditant, suâ se sinceritate involvit, omnibus utilis. Tertius, (*d*) Herculis ritu, si non impedire quin vitæ hostes nascantur, nascentes suffocare, aut vincere jam natos promptus, cui etiam à puero, aggredi ludus erat.

Quæ autem concordia! Quis concentus! Apage contentionem, quæ sæpe noxia, semper turpis est. Procul obsequium tacitè vituperantium quæ palam commendant. Hæc fuit gloria non consortis impatiens, cum alius & alius pari jugo, non pro se, sed pro Re niteretur; apud quos non Ars alia, quàm sanandi, Medicina fuit. Omnia tam moderato examine discussa, tam concorditer disposita, ut & Loci majestatem observaverint, & Artis dignitatem usque retinuerint. Taliter se gerunt summi in arte Viri, summa fata dum tractant.

Hæc omnia fovebas, temperabas, moderabaris consilia, ILLUSTRISSIME ARCHIATRORUM COMES. * Cujus dignitas non in fortunæ muneribus, sed in virtutis præmio numeratur. Bis felix, qui eodem in REGEM & Patriam zelo accensus, olim, invictissimum Imperatorem, Galliæ propugnaculum, nutanti jam & attonito exercitui nostro,

** *M. Helvetius & M. de la Vigne.* (*a*) *M. Molin.*
(*b*) *M. Falconet.* (*c*) *M. Pousse.* (*d*) *M. Vernage.* * *M. Senac.*

velut à mortuis excitasti ; Modò ; REGIS Regnique spem ac delicias, PRINCIPEM amantissimum, jam ferè comploratum, conspirantibus selectis Medicinæ Proceribus recreasti.

Istâ diligentiâ delecti Medici, noctu diuque assiduas agunt excubias. Serpenti morbo indesinenter invigilant, cui minor quàm pelago fides, sive quiescat ille, sive intumescat. Continuis enim obnoxiæ mutationibus Variolæ, Maris fluctus imitantur, quorum alii alios excipiunt, dum composito uno symptomate, alterum succedit, stadio uno vix absoluto, mox alterum succrescit. Non enim statim ac eruperunt Variolæ, periculo vacant ; sed expectant maturationem, quâ secutâ, nova sæpè ingruunt tristiora prioribus mala, quæ legitimo non nisi tempore suas absolvunt periodos. Per tot pericula, per tot moras jactatur DELPHINUS, scilicet ut reliquis mortalibus, sic & Principibus sua non nisi per gradus restituitur sanitas. Ad quam accelerandam, variarum, quas morbus induit formarum auxilia dirigunt Medici. Fervet opus, renovantur studia, labores ingeminantur.

Dirum morbi genus ! quale portentum neque prisca Græcia quondàm aluit, nec Romuli tellus generavit, utraque licet erudita gulæ magistra. * Dignum quod natales in Arabiâ sortiretur, monstrorum parente & alumnâ. Monstris omnibus majus monstrum. Propterea quòd hæc habitant quasi assignatam regionem, illud omnes omnino obtinet. Hæc per campos tantùm excurrunt, aut etiam latent in desertis ; illud rura, vicos infestat ; terret urbes. Hæc omni ferè animantium generi noxia, parciùs in hominem desæviunt ; illud homini soli perniciem molitur. Unum hæc aut alterum aggrediuntur seorsim ; illud in plures communi simul contagio serpit. Hæc demùm cominùs tantùm officiunt ; illud eminùs solo halitu inficit. Condit enim caput in nubes, te-

* *La petite Vérole n'étoit pas connue des Médecins Grecs ni des Médecins Latins. Ce sont les Médecins Arabes, qui en ont parlé les premiers.*

trâque tyrannide totum Orbem funeſtat. Quod neque ſenilis deterret ætas, nec flectit infantia, nec venuſtas mulcet. Formoſas deturpat, laniat infantes, juvenes paſcit, ſenes lacerat. Seu regnet Auſter plumbeus, Aquilove ſtrideat, æquè ferocit. Humiles caſas, & laqueata tecta nullo diſcrimine pervolat. Felices, quos ſemel invaſit, ſi faciei tantùm impreſſerit hoſtile veſtigium!

Nec Tu refugiſti, SERENISSIMA DELPHINA, Te in laborum curarumque ſocietatem offerre. Hùc teſtes adeſte MEDICI, narrate nobis, an ſatis unquam? Narrate quâ perſeverantiâ, quâ ſedulitate curam ſuam, cum ipſi ſumma deberetur, DELPHINO impenderit. Nec muliebriter trucem expavit morbum, auſa & conflictatum viſere diro veneno Maritum. Periculum inſtare exclamant, periculum neſcit Illa; non avelli ſuſtinet à Conjuge. *Delphinas*, inquit, *alias in Orbe, Delphinum alterum non inveneritis.* O regia verba! O magnanimitas! Credite poſteri; Mulierem fortem invenimus.

Intimoſne reſerabo animi ſenſus? Quæ dum altum corde premit dolorem, ſecuritatem vultu ſimulat: Quæ metu dejecta, verborum illecebris & argumentis, DELPHINUM in ſpem meliorem erigit. An teneram ætatem? Quæ, ſi corpus vires deficiunt, animos ſumit ab eâ conſtantiâ, cui nihil arduum, nihil impervium. An vigilantiam? Quâ, ipſa præcipuè cuſtos, omni ſe circà DELPHINUM Miniſterio commodat. Quam forti pectore, ſeu anxios in ſollicitudinibus & curis dies, ſeu vigilatas per metum & formidinem noctes, pertulit! Erit ſanè Quam poſteà uxoribus oſtentare poſſimus, erit à Quâ viri quoque fortitudinis exempla mutuentur.

Ah! Si tam grandis Animæ partem celebrare juvat, quid moror alteram? Quâ enim tranquillitate, quâ religione, quâ æquabilitate graſſantem morbum toleravit DELPHINUS. Medicis obſequebatur, nihil à cæteris ægrotantibus, niſi docilitate & patientiâ diſpar. Meminiſtis, MEDICI, dum, ip-

so audiente, dolebatis ejus dolorem, ut præclaras illas voces ore placido emiserit : *Homo sum, humanos casus ferre me æquum est.*

Neque longæ ægritudinis spatio, aut gravitate, de utriusque Conjugis amoribus diminutum quidquam est. Qui morbo gravabatur, tum sui, tùm ferè omnium oblitus, JOSEPHAM suam meminit usque, usque suam JOSEPHAM vocat. Quæ DELPHINUM, non DELPHINI formam amaverat, Eadem formosum minùs, non minùs charum amavit. Neque observavit aliàs lubentiùs, aut osculis digniorem judicavit, quàm cum Ille contagii larvâ obductus conspiciebatur.

Quid agebas interim, ô Matrum Charissima ! Mœstam Sororum turbam, Fratrem deflentium, ipsa solatii indigens, solabare. Ab OMNIPOTENTE proficisci tantum vulnus non ignara, suppliciter effusa ad Aras, quem DEUS dederat Natum, vel morte tuâ redimi precabaris.

Regia Progenies ! Absterge lachrymas. Qui morbos inducit DEUS idem summovet. Cœlo tandem mitiore, mitescunt omnia. Sollicitam explicuere frontem MEDICI. Vivit DELPHINUS, vivit & valet.

Trepida gaudio Natura ! Quod tu vegetum, firmum, annisque floridum corpus tradideras, id ipsum incolume, & ab infando morbo liberum reddit MEDICINA. Natum Parentibus, Nato Patrem, Fratrem Sororibus, Conjugem Uxori; Patriæ spem, amorem, salutem, vitam Medicina illa restituit. Nunc est lætandum, nunc thure & floribus decet ornare benigni Numinis Altaria. Jubilate DEO, Populi, novis concentibus, gratasque simul & alacres ad cœlum palmas tendite. Properate PRINCIPI obviam Urbis incolæ. Ecce venit sospes, supremo vitæ Arbitro grates persoluturus

Tarda nobis fluebant tempora, PRINCEPS Optime, quæ spem te inspiciendi morabantur. Qui dies ille ! Quàm clarus affulsit ! Cum exoptatus desideratusque Lutetiam tan-

dem invectus es. Qui concursus! Quæ pietas Te! qui clamor! quod etiam silentium excipiebat! quo Tu silentio non minùs quàm clamore delectabaris. Scilicet populus idem qui Te periculo liberatum gaudebat, quàm propè periculum fuisses, non sine horrore quodam reminiscebatur.

Secedis interim, DELPHINE, secedis. Locus eligitur, qui Te cœli solique mutatione, amœnitate ruris, blandâ prospectûs jucunditate Convalescentem reficiat & confirmet. Beatus ille qui te hospitem habet salubris & amœnus Collis! Viden quàm exultanter, & quasi ludibundo fluctuum agmine, ad os tuum conspiciendum, ad vultus tuos contemplandos, undequâque decurrant omnes. Hùc & illùc cursitant misti Urbanis Agrestes, qui repetitis clamoribus Tibi restituto gratulentur, qui incolumi plausus ingeminent. Novâ lucis usurâ se frui quisque arbitratur. Ipsa arbusta, ipsi fontes, ipsa nemora, nescio quid novæ alacritatis videntur præ se ferre. Quin & ipsæ noctes lætiùs ipso die collucent. Ignei micant per æthera mille lusus; remotissima quæque loca festivè intonant.

Ac veluti post imbres & nubila, dum cœlum serenatur, nitidiores Solis radii ad cantum evocant aves, hic dies lucidus, silentes anteà Musas, jacentes anteà artes exsuscitat. Eriguntur passim arcus geniales, in quibus variis symbolis certant invicem Pictura ut Poësis. Neque sua ovium custodi deest fistula, quâ, tenero in gramine recubans, carmen Tibi moduletur.

Ades tandem, ô solamen afflictæ Domûs! O Patriæ spes & amor! utriusque gloria. Nunc te morbus felix in securiorem effert valetudinem; hâc mercede morbus placet. Quam igitur Borbonidum Prolem HENRICUS MAGNUS in Solio collocavit, LUDOVICUS JUSTUS firmavit, provexit LUDOVICUS MAGNUS, beat nunc LUDOVICUS BENE-AMATUS; hanc in Te redivivam, SERENISSIME DELPHINE, hanc in Nato tuo læti conspicimus.

Vivite felices, vivite; regnate; gloriam nostram; nostrum nomen ambo servaturi, & ad nepotes traducturi. Una cunctorum vox est, salvâ Regnantis posteritate, salva Regni prosperitas.

DIXI.



DECRETUM FACULTATIS MEDICINÆ PARISIENSIS.

POSTQUAM dicendi finem fecit Orator elegantissimus, convenerunt in Scholas Superiores, Doctores frequentissimi, ibique, habitis extempore Comitiis, CENSUIT FACULTAS *M. Laurentio* FERRET *gratias agendas esse quàm maximas, pro eâ quam modò habuit Oratione; eam typis esse mandandam, utpote Medicis perhonorificam, tum maximè quia genuinos ac sinceros Ordinis nostri erga* REGEM, S. DELPHINUM *&* REGIAM DOMUM *animi sensus exprimeret, eandemque ideo, Magnatibus, Supremis Magistratibus, singulisque Doctoribus esse distribuendam, & sic conclusit*

BARON, Decanus.